2 6

S. p. d. Complura audivi de humanitate & eruditione tua
Joachime doctiss. ab conterraneo meo Hieronymo. Precipue
vero & illud me delectavit, quod nunquam antea viso Be-
rosum contradidisti: cuius iocunda presentia iam integrum
biduum fruimur. Quocirca cupido me invasit arctioris
tecum ineunde benevolentie. Quandoquidem omnibus nervis
contendendum censent sapientiores: ut amicos adipiscamur
quantum possimus. Ne autem illotis ut aiunt pedibus tam
augusta amicitie penetralia introgressus videri queam: volui
te primus hoc epistolio: veluti constantis perpetueque prodromo
necessitudinis salutare. Quod si tu: quamvis extorrem & extremi
subsellii hominem Petreium: non tamen inofficiosi ingenii &
a musis gratissimis prorsus alienum: resalutare non dedignabere
sublimi feriam sydera vertice. Habes quanti te faciam.
Bene vale. Ex Timonio nostro. Raptim. Sexto Nonas Maii
Anno MDX

Petreius Aperbachus

Petrius Aper 1523.

Humaniss. Literatiss. ac Bon.
Art. Doctori Joachimo Vadiano
Amico suspiciendo.